

Tam hic annus quam reliquorum archontum anni definiri potuerunt ab A. Mommseno (Philol. 24, 1866 p. 25 seq.), ea re quod nonnulli ex his archontibus memorantur etiam in aliis inscriptionibus Delphicis una cum praetoribus Aetolorum, praetores autem Aetolorum suis quibusque annis interdum memorantur a Polybio. — 2) *Voturius* (Veturius). — 3) Eodem anno praeter complures homines nobis ignotos cooptatus proxenus est Xenophon Aegiensis, ex principibus Achaeorum (Polyb. 18, 1, 4. c. 10. 11). — 4) A. 191/0. — 5) *Arpi*, Graecis Ἀργυρίππα, primaria olim Apuliae urbs. — 6) A. 190/89. — 7) *Valerius*. — 8) Hic est, ut viderunt Dittenberger Herm. 15, 1880 p. 158 et Bergk Philol. 42, 1883 p. 249, *Muttines* (sic Liv., Μυττον-Polyb. 9, 22, 4) *Libyphoenix*, dux Numidarum ab Hannibale in Siciliam missorum, qui a. 210 M. Valerio Laevino consuli Agrigentum prodidit (Liv. 25, 40. 26, 40), eodem anno a Laevino in senatum introductus et lege tribunicia civis Romanus factus (Liv. 27, 5), deinde bello Antiochi denuo, una cum filio, signa Romana secutus, ut apparet ex Liv. 58, 41, 12. Videtur posteriore parte anni 190, nam haec pars respondet primo semestri archontis Callicratis, Delphos accessisse (cf. Dittenberger l. c. p. 160) et per illud tempus una cum filiis a Delphis proxenia honoratus esse. Apparet Muttinem civem Romanum factum praenomen et nomen Laevini consulis sumpsisse (cf. Mommsen Staatsr. III p. 64 not. 1). — 9) A. 189/8. — 10) Est T. Quinctius Flaminius, consul a. 198, qui anno insequenti Philippum regem apud Cynoscephalas devicit, denuo in Graecia moratus missus eo a senatu a. 192. 191. Cur anno potissimum 188 civitas Delphorum nobilissimum et potentissimum virum, Romae tunc degentem, nam censura fungebatur a. 189/8, una cum aliis duobus nobilibus Romanis, honore proxeniae offererint, sciri non potest. — 11) Pater sine dubio M'. Acilii L. f. K. n. Balbi consulis a. 150 (Mommsen eph. ep. 1 p. 285 not. 1). — 12) Consul a. 197. — 13) A. 173/2.

8765 (v. 102) (στέφανος χρυσοῦς δάφνης, ἐπιγραφὴν ἔχων) Πόπλιος Ποπλίω Κορνήλιος στρατηγὸς ὑπάτος Ῥωμαίων¹.

(v. 104) (στέφανος χρυσοῦς δάφνης, ἐπιγραφὴν ἔχων) Λεύκιος Αἰμύλιος στρατηγὸς Ῥωμαίων².

(v. 105) (στέφανος χρυσοῦς δάφνης, ἐπιγραφὴν ἔχων) Κόιντος Φάβιος Κοίντος υἱὸς στρατηγὸς Ῥωμαίων³.

Deli, inventarium cimeliorum templi Apollinis, lapidi incisum archonte apud Delios Demare, i. e. anno ante Chr. c. 180, inventum fossionibus a. 1880 (Homolle bull. de corresp. hell. 6, 1882 p. 29 seq.; ex hoc Dittenberger syll. ed. 2 n. 588). — 1) Est Scipio Africanus consul iterum a. u. c. 560, ante Chr. 194, a. 190 fratrem comitalus in Graeciam (consul dictus etiam in inscriptione donarii positi a. 189, Liv. 58, 55, 4). Ad eum videtur pertinere etiam decretum Deliorum Bull. corresp. hell. 28, 1904 p. 274. — 2) Est L. Aemilius Regillus, praetor a. 190 et dux classis Romanae bello Antiochi (Liv. 57, 2, 1; 4, 5 cet. cf. 40, 52, 5). — 3) Est Q. Fabius Labeo, praetor a. 189, successor Regilli in praefectura classis (Liv. 57, 50, 8; 60, 1 cet.); idem postea consul factus est a. 183.

Praeterea in eodem inventario recensentur donaria aliorum consulum et praetorum populi Romani, haec: T. Quinctii Flamini consulis a. 198 qui a. 197 Philippum regem devicit (v. 89: στέφανος χρυσοῦς δὲν ἀνέθηκεν Τίτος Ῥωμαῖος, v. 85. 86: στέφανος χρυσοῦς Τίτον ἀνάθεμα Ῥωμαῖον, v. 178: ἀσπίς ἀργυρᾶ, Τίτον Ῥωμαῖον ἀνάθεμα); fratris eius Lucii, de quo v. supra N. 44 (v. 85: πόρπη χρυσοῦ, Λευκίον ἀνάθεμα Ῥωμαῖον); A. Atilii Serrani praetoris et ducis classis Romanae a. 192 (Liv. 55, 20, 9 cet.) v. 86: Αὔλιον ἀνάθεμα Ῥωμαῖον; C. Livii